


05

A

1100





Disputatio Politica
De
B E L L O,

Quam

*Favente cælesti Numine,
In celeberrimo Saxonum ad Albim Lyceo,*

P R Æ S I D E

M. MARTINO CASELIO,

Serenissimi Electoris Saxoniae Alumno, &
Facultatis Phil. Adjuncto, Fautore & Præceptore
suo observando,

CHRISTIANUS MASCOVIUS

Falck.

In Auditorio minori,

Die 13. Jan. horis matut.

Publicè ventilandam proponit.:

W I T T E B E R G Æ

Typis AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.,
ANNO M D CXXXVI.



05 A 1100



In Nomine J E S U.

Nter armorum strepitus de Politi-
 ca quadam materia disserturus, non prater
 rem fecerit, si talem sibi, qua presenti tem-
 porum respondeat statui, eligat, cum istius,
 quod apud Cicer. l. 1. off. est, vis magna sit; Neq; enim eas
 dem res eandem semper habent delectationem. Hinc au-
 ribus, hinc rebus, utcunq; aderunt, ad oblectandos animos
 impellendosq;, ne cui fastidium moveamus, discursus no-
 ster est accommodandus. Quotus verò quisq; est, quem
 lateat, belli sevitiam adhibitis nunquam exactio-
 num tormentis auditis argento incolas emunxisse, Nobilium com-
 plures sedibus suis depulisse, quin ad summam omni sce-
 re patriam lacerasse, in eaq; affligenda, et si aliqua pacis
 non contemnenda spes est, adhuc non defatigari. Quare
 non alienum duxi, quadam de bello pro virili conscribere,
 Nunc bono cum Deo sit *Ibesis*

I.

Initiò igitur, cum nominum cognitio plurimùm con-
 ferat ad rerum intellectionem, circa vocem belli non nihil
 monebimus, quæ sic vel κατ' ἀντίφρασιν dicta, quasi mini-
 mè sit bellum, videtur; Qui enim finis propositus nobis erat,
 ut alteri alter prodesset, pervertitur, pluresq; hoc impetu de-
 lentur, quam omni reliqua calamitate, veluti Tull. l. 2. off.
 ait: Vel à bono, ut sit istius diminutivum, quia boni alicujus
 obtinendi gratia, pacis scil. qua nihil melius, suscipitur. con-
 tra malum reipublicæ, vel ipsi existimationi inflictum propul-
 satur.

*Belli Ety-
mologia.*



satur. Alij aliundè rectiùs illud derivari putant, nos, naturâ
ejus declaratâ, duobus hisce erimus contenti. vid. Liebenthal.
coll. pol, Ex. 14. th. I.

II.

Homonymia

Jam verò ambiguitas evolvenda est, quæ nisi expediat-
tur, differentibus maximam parit difficultatem: Galenus
enim monet, nominis rationem in omni discursu esse haben-
dâ, ne significatio quædam latens nos decipiat, & Arist. lib.
I. cap. I. Sophist. Elench. inquit: *In disputationibus, qui nomi-
num potestatis sunt imperiti; paralogismis obruti falluntur; & cura
alios erudiunt; & cum ipsi disputant.* Quandoque ergò im-
propriè pro factione justâ causâ destitutâ sumitur, quale bel-
lum Rusticorum Patrum memoria fuit, quod potius in fa-
ctionis, quàm justî belli nomen incidit; Quandoque pro
hostium conflictu, ut in illo Corn: Nepotis: Nec prius inde
decessit, quàm totam Insulam bello devinceret, quod absq;
hostili congressione, qua aut ferro aut alio quocunq; modo
hostes superantur, fieri non potest; Quandoque pro effectu
belli, prout est calamitas & pœna divina: Sic idem, ita esse Ha-
milcarem in tota Africa versatum ait, ut nullum in ea bellum
gestum apparuerit; vel tandem propriè pro toto tempore
actionis seu gestionis belli, ut comprehendat omnes actus,
quos bellum habere consuevit.

III.

Synonymia.

Aliàs dici solet I. Militia, eaque vicissim à multitudine
ex millibus constante: cum enim Romulus initio urbis mille
ex populis armis instruxisset, à numero eosdem indigitavit
milites, quasi millies, uti Becman. in lib. de orig. prolixius
exponit: 2. Duellum, quando scilicet belli vox impropiè
pro ipsa congressione, ut quando I. Sam. 17, 50. David &
Goliath certamen inierunt; Seu ratione originis sumitur,
quia etiamsi multi sint milites, duo tamen ab initio bellum
susceperunt. 3. Græcis πόλεμος sive ἀπὸ τῆς ὀλῶ quasi
ὄλεμος à perdndeo; Nam quid verius de ipso dici queat,
quam

quam pernicies & pestis omnium bonorum, quæ subditis sunt; sive ὄχη τῶ πολλῶς ἀμᾶν à multorum congrega-
tione.

IV.

Cum hæctenus de vocabuli nostri definitione nominali præmittenda cognoverimus, consequens erit, excutere plenius, quæ ipsius rei, naturam explicant. Ea ergò uniuscujusq; definitione quia continetur, talem quoque belli, ambagibus omisis, constituimus: quod videlicet sit hostilis actio à parte Reipublicæ majestatem habente, contra aliorum vim & injurias suscepta. Scleif. in tract. Doct. Martini Laudunensis de bello ait, bellum esse, quod ex edicto geritur, de rebus petendis & propulsandorum hominum causa, quod enumerare causas belli est potius, quàm exactè definire.

Definitio.

V.

Actum hostilem generis loco rectè posuimus, cum apud omnes sit in confesso; nullum bellum ab amicis geri, sed inimicis & hostibus. Eo enim congregiuntur animo, ut alter alterum offendat, vel injuriam illatam vindicet. Et actum hîc unum non volumus intellectum, quod de prælio affirmari posset; Sed complures, ut Calep. in voce belli inquit; Bellum est dissensio hostilis, per quam arma moventur, & significat totum tempus, quò militiæ intersunt homines, omnibusque actibus operantur. Hinc est, quod inter prælium & bellum differentia sit, veluti ex illo Virg.

Explicatio.

Infantem fugiens media inter prælia belli.

& Livij, liquet: *Populus Romanus nullo bello, multis verò prælijs superatus est.*

VI.

Neque tamen justa causa, si legitimum sit, debet destitui, sed ideo in republica jura belli maximè sunt conservanda, & ea ipsa suscipienda, ut sine injuria in pace vivatur. Cic. lib. 1. off. qua excepta nihil præter temeritatem bellum habet. Et offerre se periculis sine causa, stultissimi

A 3 est,



est, omniq; ratione carentis, ut taceam quod plerumque ejusmodi futura pessima percellantur, quemadmodum Exempla historiarum sacrarum pariter & profanarum testantur.

VII.

denunciatio. Sed & denunciari prius debet, si veterum vestigiis insistere velimus. Cic. enim *Lib. 1. off.* contendit, belli æquitatem sanctissimè feziali populi Romani jure perscriptam esse, ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit & indictum, ut ipse ibidem disputat. Quæ adeò vera sunt, ut & nonnunquam admonitio præcedere debeat, exemplo Joæ Amaziam, *Lib. 2. Reg. 14.* admonentis: *sede in domo tua, ne corrumpas & rota Judæa tecum*: Sic & Tullius, veluti Livius author est, Sabinis bellum indixit. Notandum tamen est, quod illa indictio non nisi à publico Magistratu potestatem habente fieri possit ac debeat.

VIII.

Est vel licitum vel illicitum. Variè autem bellum dividitur, & ab aliis quidem aliter; Nos breviter illud sic disponimus, quod aliud sit Licitum, aliud Illicitum. Illud vocatur quod justa de causa à parte Reipublicæ majestatem habente legitimo fine suscipitur. In hoc contraria obtinent, & sub se comprehendit bellum præsumptuosum ab inobedientibus susceptum, temerarium & malo fine institutum.

IX.

Belli liciti cause.
Gloria Dei. Quoniam autem bellum in licitum & illicitum divisimus, videndum est, quæ justæ sint suscipiendorum bellorum causæ. Inter quas merito præeminet gloria Dei, cujus antiquissima semper cura esse debet. Sic cum Sennacherib Deum Israelis probris & contumeliis affecisset, Hiskiam oppugnatum venisset, ipse Hiskias contra eum pro viribus stetit, existimans aut pereundum sibi, aut non committendum, ut deditio à vero Deo defecisse videretur *Jes. 36.* Id quoque asseritur de jure publico *R. A. zu Regenspurg anno 1632. S. vnd damit solcher ib. zu förderst Gott/ & passim exempla in Lib. Maccab. habentur.*

X. Deinde

X.

Deinde verè patriæ salus prætereunda non est, in quam *Salus Pa-*
post Deum omnis nostra dilectio exerenda, quia si compara-
ratio quædam sit instituenda, quibus plurimum tribuendum,
patria, aut nihil unquam erit. Hinc Alcibiades, etiamsi ma-
gnam gratiam à Rege extero inijsset, ut in Phrygia castrum,
Grunium, ex quo quinquaginta talenta vectigalis capiebat,
possideret; hac sua fortuna contentus tamen non fuit, sed
ad Athenas, ut patriam, liberandas sine omni mora latus est.

XI.

Hanc curam patriæ dicimus porrò comprehendere pri- *qua con-*
mò defensionem duplicem; Propriam & alienam. Illam vo *prehendit*
camus, quavis à nobis nostrisq; arcetur, & libertas, bona *i.*
parentesq; armis teguntur. Hoc enim & ratio doctis & ne- *Defensio-*
cessitas barbaris & mos gentibus & feris natura ipsa præscri- *nem pro-*
psit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à cor- *priam.*
pore, à capite, à vita sua propulsarent, ut præclarè scriptum
apud Tullium in Orat. pro Mil. legimus. Atque hoc pro-
prium est Magistratus Politici officium, decus dignitatemq;
civitatis sustinere, nec pati, ut illius ulla fiat deminutio, pro
qua nec bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus.

XII.

Alienam dicimus, quando aliorum gratia; vel societa- *Et alic-*
tis vinculo nobis devinctorum arma sumimus, quia hoc ipsa *nam.*
fides, quæ est dictorum conventorumque constantia & veri-
tas, & religio pactorum jubet, ab Abrahamo Gen. 14. fra-
trem hostium potestati eximente, Plataisq; mille militum
Atheniensibus auxilio è Bæotia mittentibus invitati; Vel inju-
ria aliàs oppressorum, quos duce natura, quâ quodammodo
invicem conjungimur, tueri tenemur, quod etiam ut *Am-*
brosius de off. ait, Christianæ charitatis non minima pars est.

XIII.

Altera est species, quæ offensoria, seu vindicatoria ap- *II. Offensio-*
pellatur, & vel est invasio tantum in alterius regionem, vel *rem.*
provocatio directa & expressa; Ubi tamen notari debet, quòd
justè

s-
la
fi-
a-
e,
od
li-
n-
a-
u-
or
a-
e-
er;
li-
ei-
oc
n-
lo
fi-
m
ti-
m
a-
xi-
di-
ri-
nd
ib.
de

justè hîc agatur, si primùm experiamur verbis, num sine ar-
mide offensa nobiscum agere velit? Quod si obtineri non
potest, præmissa clarigatione ad arma veniendum est. *Scbôn-
born. L. 6. c. 3.* Sic Datames experiri voluit, num sine armis
Thyum Dynastem Paphlagoniæ ad officium reducere posset.
Et hæc de justis belli causis dixisse sufficiant, cum omnes ferè
quas reliqui recensent, ad has referri possint.

XIV.

*Causæ inju-
stæ belli.*

Injustas breviter nunc annectimus, cum contrariorum
eadem scientia sit. Et primò quidem ad arma multos movere
solet ambitio, de qua parens ille puræ eloquentiæ sic ait: Ma-
ximè adducuntur plerique, ut eas justitiæ capiat oblivio, cum
in imperiorum, honorum, gloriæve cupiditatem inciderint. Ita
Absolon armis nefariis contra patrem stetit, tantùm regnan-
di cupiditate ductus. Deinde verò nonnulli ad injuriam fa-
ciendam properant, ut adipiscantur ea, quæ concupierunt,
in quo vitio latissimè patet avaritia. Sed & nocendi sæpè
causam injuriæ à metu proficiscuntur, cum is qui alteri nocere
cogitat, timet, ne, nisi id alteri fecerit, ipse aliquo incom-
modo afficiatur. Hinc oritur, quod sæpenumero alia cau-
sa belli esse soleat, alius prætextus, ut Lacedæmonii Atheni-
enses ædificantes prohibere conati sunt, metuentes, ne sibi de
principatu cum his certamen foret, quare ut illud impedirent,
hoc prætextu usi sunt: Non oportere extra Peloponesum ul-
lam urbem haberi, ne loca munita essent, quæ hostes occu-
parent, sed longè aliò, uti Ne pos tradit, spectabant, atque vo-
lebant videri.

XV.

*Belli conse-
quens.*

Jam ampliùs cum belli causas modò recensuerimus, in
considerationem venit, quid bellum, propter quod tam multi
labores & molestiæ suscipiuntur, tandem sequatur. Siquidem
teste Aristot. *Lib. 1. Nic. c. 2.* omnis actio fit propter finem. Et
Et sanè qui bella volunt, nihil cupiunt magis, quàm vincere,
ut injuria intentata repellatur, neque ex condonatione unius
alteram trahamus, sed aurea potius pax obtineatur.

Vera

Vera enim quando viget, tranquilla est reipublica libertas, nec injuriis ullis obnoxia. Subjugatio etiam hostium quandoque sequitur bellum, uti Miltiades Insulas diu resistentes tandem in suam potestatem nonnullas redegit, & denique Barbarorum copiis disjectis, tota regione, quam petierat, est potitus. Neque tamen quod ultimò bellis quæritur potuit consequi, & tum demum asperitas ejus cepit flagrare, præliumque committi. Pax ergò spectanda est, quæ sic à victoria differt, quod hæc sit belli effectus seu exitus, illa belligerantis causa finalis, cui, quâ via potest, modò non prohibita aut iniqua, consulendum, Quare cum in modum constituenda erit, ne alterutri bellantium parti fraus fiat, aut quicquam habitura sit insidiarum.

Pax.

XVI.

Cæterùm tractatio ea longe prudentibus & circumspicis consiliariis committenda, cum hic salus reipublica veretur. Quod si verò alteruter vereatur, ne si pacem petat, pro victo & cedente habeatur, à mediatore, pacis conciliandæ causa, sese interponente, legati ad utramque partem mitti debent, secuti Athenienses, cum Rhodios à Democrito, gravi, diuturnoque bello fatigatos, petere pudisset, legatos ad utrosque mittentes, summa cum laude, ut ab armis discederetur, obtinuerunt, ut memorat Bodinus de republ. Nullo autem hujusmodi existente, necessitati, quæ existimationi etiam quandoque officit, obtemperandum est.

Quomodo
& à quibus
constituen-
da.

XVII.

Atque ex his constat, pacis media minimè rejicienda esse; Ad hoc enim nati sumus, ut vi rationis aliis ad orationis & vitæ societatem conciliemur. Hinc Palingenius canit:

Pax decet alma hominem gaudet fera bellua bello.

XVIII.

Notandum tamen est, quod non ad breve aliquod tempus, quemadmodum de induciis dicitur, ea sit constituenda, qua hostis vires suas recolligit, ut Thissaphernem in Corn.

B

Nep.

ar-
on
n-
nis
et.
rè

m
ere
a-
n-
Ita
an-
fa-
nt,
pè
e
m-
au-
ni.
i de
nt,
ul-
cu-
vo-

in
ulti
em
Et
ere,
nius
L.
era

Nep. fecisse legimus, sed perpetua aut minimum diuturna.
Tum enim vera patriæ salutis ratio habetur, quæ perpetuitate
gaudet. Ad pacem denique violandam non faciliè adduca-
mur, nisi gravis quædam & grandis injuria nobis illata
fuerit.

XIX.

Belli media.

*Exercitus
definitio.*

*Distinguitur
in peditatū
& equita-
tum.*

Cum autem finis modo dictus absque mediis obtineri
nequeat, necessario consideranda sunt, quæ bello inservire
videntur, ubi imprimis exercitum requirimus, sine quo nec
bellum geritur, nec per bellum quæsitâ inveniuntur. Defi-
nitur verò quod sit ordinata hominum belli causa collecta
multitudo, eaque dupliciter dispescitur, ita ut primò sit pe-
ditatus, sive regimen peditum, quod plerunque legiones tot
habet, quot hostium respondeat; Atque hæ more Germano-
rum constare solent 2000 vel 3000, quæ iterum cohortes si-
ve centuriæ 10 constantes 300 aut peditibus paucioribus pro
arbitrio Imperatoris habebunt. Et hæ vicissim in contuber-
niâ, in quibus 10 vel 5, reperiuntur, divisæ sunt. Belgæ ta-
men in Legione qualibet tantum numerant 1000 milites, ut
Johann. Jacob von Bathausen in corpore militari tradit. De-
inde verò equitatus seu regimen equitum ad exercitum requi-
ritur, cujus singulæ legiones 1000 equitibus & hæ iterum in
cohortes 250 dispositæ more nostro constare debent. Quam-
vis Belgis nullæ equitum sint legiones propriè constitutæ, sed
veteranis militari fortitudine excellentissimis 4. cohortes tan-
tùm committantur. *Ibid.*

XXI.

*Exercitus
caput.*

Horum modò commemoratorum necesse est, sit caput
aliquod, cujus omnia geruntur nutu, & quod summæ rei im-
perat, ne suo quisque indulgeat ingenio. Summus ergò belli
Imperator à supremo Magistratu meritò constituitur. Probè
ergò illud Homeri; Non posse benè geri rem multorum im-
periis, observandum erit. Et hic imprimis notandum, ipsum
bellicis virtutibus præditum esse oportere. Cum enim Duces
quasi vita sint & anima totius exercitus, & pleraque in bello
impe-

808
imperitiâ eorum peccentur, meritò selectissimi esse de-
bent.

XXI.

Sit itaque primò gnarus rei militaris, adeò, ut nullum, *Quale ca-*
facile belli genus inveniatur, in quo ipse non sit exercitatus, *put eligen-*
quemadmodum præclare scriptum legimus apud Corn. Ne. *dum.*
pot. Cimonem Ducem Atheniensium, quod cum patre à pue-
ro in exercitu fuerat versatus, magnam sibi acquisivisse rei
militaris scientiam. Et Tullius summum Imperatorem de-
scribens ait: Quatuor hæ virtutes, scientiæ rei militaris, virtus,
autoritas, felicitas in ipso sint.

XXII.

Secundò adsint virtutes animi. Studeat ergò 1. Humanitati, exemplo Miltiadis, cujus summa humanitas & miracomitas fuit, ut cum nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret, favorem omnium sibi conciliaverit, eosque dicto habuerit parentes. 2. Justitiæ, ut disciplina militaris, de qua Varro scripsit, servetur, incolarumque gratiam ineat, veluti supra dictus Miltiades, cum summa æquitate res constituisset, dignitate inter hostes regia fuit, quod non magis imperio quam justitia est consecutus. 3. Temperantiæ quoque deditus sit, ne ipse idem, quod Thebanorum Magistratui evenit, experiatur, qui, cum accepisset, exules in urbe esse, vino epulisque addictus usque adeò illud despexit, ut ne quære-
re quidem de tanta re laborarit, rem in crastinum dilaturus. Et ideò propter hanc suam securitatem, cum mox processisset, vinolentus ab exulibus duce Pelapida interfectus. Tantæ calamitati esse solet nimius in bello voluptatum usus! 4. Abstinentiæ, ne suum magis commodum, atque reipublicæ, aut cujus bellum geritur, quærat, Aristidis, qui prius in maxima paupertate decessit, quàm minimum etiam ad se modis illicitis venire voluit, vestigia premens. Et hic admiranda etiam est Regalis illa Pyrrhi sententiâ, de qua sic Cic. L. 1. off.

*Nec mi aurum posco, nec mi precium dederitis,
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes: &c.*

B 2

5. For-

5. Fortitudini, qua res belli magnas, arduas vehementer, plenasque laborum & periculorum pacis obtinendæ causa gerere queat. Hâc animi fiducia excelluit Darius, qui ut militibus ansa daretur fortiter pugnandi, cum in Scythiam copias suas duxisset, pontes, quibus maria strata erant, demolitus est.

XXIII.

Authoritate insuper polleat, quam sibi comparare potest ex disciplina militari, & prudentia, peritiâq; rerum gerendarum. Facile enim ij contemnuntur, quibus nihil succedit, in quibus nihil curæ laborisve est. Quo etiam facere videtur, & generis, in quo plerumque multum expectationis esse solet, quemadmodum & nati præ clari, præclaro præsumuntur esse animo; Et corporis dignitas, exemplo Iphicratis, qui magno animo & corpore, formaque Imperatoria, qua ipso aspectu cuiusvis iniecit admirationem sui, instructus fuit.

XXIV.

Felicitas quartò ante omnia requiritur, quæ quamvis divinitus nonnullis concedatur, maximamq; vim habeat, ad eam tamen ipsam mores, consilia & imprimis preces ad Deum factæ plurimum valere solent.

XXV.

Supremum Magistratum vidimus, eum sequuntur Legati & Vicarii, de quibus Schönborner. & Liebenthal videri possunt. Quibus iterum subest inferior, veluti Legionarius ejusque Legatus & reliqui. Denique omnes modò dictos subditi excipiunt, qui varii, imprimis autem milites, tanquam qui conscripti & auctorati hostis devincendi gratia sunt, ijque vel tyrones, qui adhuc nulli bello interfuerunt, vel veteres qui aliquoties, vel veterani qui sæpissimè molestias bellicas sustinuerunt. Teneant verò, ut stem paucis complectamur præceptum illud Cic. quo præcipit, eis debere insitum esse, aut vincere aut mori, de quibus omnibus supra allegati prolixiores

lixiores sunt, nos brevitati studentes inconsultum esse ducimus, prolixitati nimium hic dare.

XXVI.

Sed ejusmodi catus ut convocetur, conscriptio est instituenda à conquisitoribus tympano vel tuba, vel alio quocunque modo; & quidem autoritate ejus Reipubl. partis, quæ majestatem à Deo concessam obtinet, ita tamen, ut consensus ab utraque parte non excludatur. Hinc omnis fraus & impostura modernorum conquisitorum detestanda, qua stipendia nonnullis clanculum applicant, quod expressè contra omnia jura committitur. Nec magis etiam laudandi sunt, qui ut locupletentur & luxuriosè vivant, propterea in militiam abeunt; Et has eleganter sic depingit Palingenius:

Milites conscribendi.

*Arma amens amat, arma cupit, quicunq; laborem
Odit iners & inops, qui vivere luxuriosè
Vult, quamvis nequeat, non respondente crumena*

Evenit ergò, quando cum hoste dimicandum, ut sic magis parati sint, fuga sese & vitam bonaque, quam ferro defendere.

XXVII.

Conscriptionem excipit lustratio, quâ milites ita convocati in locum aliquem congregantur, ut cognoscatur, qui huic tanto operi pro reipublicæ salute suscipiendo apti sint, cui etiam armorum generi magis applicentur. Quilibet tamen princeps exercitiorum habebit exercitum, si subditos armorum tractationi assuefaciat. Denique his ita peractis juramentum præstare tenentur, inque certos numeros referuntur. De quibus Schönborner. l. 9. c. 14. videri potest.

Lustrandi.

Exercendi.

Juramento obstringendi.

XXVIII.

Relati itaque in certos ordines, ut conserventur primò pecuniâ, tanquam rerum gerendarum nervo præcipuo, opus est, nisi militi omnium regionum devastacionem concedere velit. Cujus ratio in ærario habenda, ut non ad instituendum solum, sed & continuandum bellum in parato sit.

puniendi & premiis afficiendi.

Hinc opus est I. pecuniæ.

B 3

Ordina-



II. *Commeatu.*

Ordinariè autem sumitur, vel sumi debebat ex ærario publico, quod Tullius l. 2. off; hisce monet: *Danda est opera ne propter ærarij tenuitatem, assiduitatemq; bellorum tributa sint conferenda.* Deinde verò commeatu, ne exercitus, quem melius esset vinci ferro, fame pereat. Quod Atheniensibus, cum præter arma & naves nihil superesset, accidit, cum Lysander animadverteret, præter arma & naves hosti non restare, bellumque idcirco, ut fame perirent, diutissimè duceret. Nam ut Veget. l. 3. c. 26. ait. Sine ferro vincitur, cui cum natura & fame belligerandum; Neque disciplinam servare potest jejunos miles ex Calliodori sententia.

XXIX.

III. *Armis.*

Arma tertio loco ad bellum requirimus, quæ sic appellata sunt, quod ex armis, id est, ex humeris pendeant, vel à græca voce ἀρμὸς quasi aptitudo quædam, quâ nos tegimus & tuemur, vel alteri nocemus; Suntq; omnia instrumenta, quæ ad vim vel inferendam, vel illatam propulsandam variè & pro libitu usurpare possumus, quæ Schonborn. & Liebenthal pluribus recensent. Ea itaque comparanda sunt non modò ad patriæ propugnationem, sed ad cæteras quoque regiones domandas Arist. L. 2. Pol. c. 4. Imperatori autem licitum ea excogitare, quibus hosti maxima nocumenta, secundum tamen belli consuetudinem, inferre potest; Ut idem illud Iphicrates, nova & meliora in re militari inveniando, ad belli Ducem statuit cum primis pertinere.

XXX.

IV. *Locis munitis.*

Denique loca munita habere debemus, in quibus quisque sese contra hostium impetum tueri possit, & interdum vires colligere, quæ non tam vallis, quàm naturæ oportunitate, commoditateque prædita esse debent. Sic Miltiades loco idoneo castra fecit, & Themistocles Atheniensium muros restitui patriæ consultum duxit.

31. Cæte-

XX XI.

Cæterùm disciplina militaris, quæ, ut quisque suum faci-
 ciat, præcipit, ordinem in militia servat, fidem semel datam
 abs gravi pœna frangi non patitur, tantoperè in bello necessa-
 ria est, ut ex justissimo, amissa hac, injustissimum efficiatur.
 Hinc juxta Valer. Max. præcipuum decus & stabilimentum
 est rei militaris. Iphicrates etiam laudatur, qui tanta se-
 veritate exercitui præfuit, ut nullus unquam in Græcia neq;
 exercitiozem, neque dicto magis audientem exercitum ha-
 buerit. Quod quidem ex Danæi sententia commodissimè
 fiet, si pœnis legis violatores afficiantur, stipendia verò &
 præmia benè merentibus legitimo tempore solvantur.

*Disciplina
 militaris, et-
 iam acesse
 debet.*

XX XII.

Sed nunc de actionibus belli particularibus quædam
 monenda sunt. Ubi primùm nonnihil de exercitus ductio-
 ne præmittimus, & cavendum monemus Duci, ne citra ne-
 cessitatem eum ducat per propriam regionem. Quod si verò
 hoc vitare non possit, præcipiat militibus, ne subditis præ-
 dando & excurrendo graves nimium sint. Hinc Bodinus de
 Repub. inquit: Boni Ducis est, bellum extra fines, quantum
 fieri potest, gerere.

*Belli actio-
 nes.*

XX XIII.

Sed ramen in terra aliena magna cautio adhibenda est,
 ne per insidias hostium decipiamur. Quare majoris securi-
 tatis gratia probè videndum, ut excubiæ constituantur, ne
 idem Imperatori vel toti exercitui, quod Thrasybulo, eveniat,
 qui cum classem ad Siciliam appulisset, neque satis in castris
 ejus agerentur vigiliæ, à Barbaris, ex oppido noctu eruptio-
 ne factâ, in tabernaculo est interfectus. Ad eas autem bene
 constituendas, vigilumq; alacritatem probandam tessera mi-
 litaris, ab ipso Imperatore, si adsit, danda est, eaque quoti-
 die mutanda, ne ex usu hostes signum verbis datum cogno-
 scant.

34. Usus

XXXIV.

Ufus horum modò dictorum cum primis est in prælio, ad quod tamen non nisi summa vel necessitate vel occasione insigni datâ veniamus, cum res plena periculi sit, dimicare prælio, patriæque & reipublicæ salutem in incertissimo hujus eventu positum habere, ut laudanda profus sit Fabij cunctatoris istius prudentia, cujus laudem breuiter Ennius hisce expressit verbis:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

XXXV.

Quod si eveniat, explorato consilio, summaque ratione omnia administranda. Imprimis verò locus pugnae spectandus. Nam & hic non minimam partem ad victoriam obtinendam facere solet. Sic Xerxes cum alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus pugnasset, victus est. Nec non acies rectè instituenda, ne nimis angustè aut latè ordines invicem remoti sint, de quibus Vegetius; Allocutio quoque & adhortatio, ut fortiter pro patria & libertate pugnent, plurimum inflammare consuevit militum animos.

XXXVI.

Eo peracto collectio est instituenda militum, ut sciat belli Imperator, quot de suis superstites sint. Hostis verò non nimium, ne ex desperatione revertatur, persequendus est, sed miles cohibendus, ne in præda facienda modum excedat; Et ultimo vulneratorum atque interfectorum cura habenda erit.

XXXVII.

Omnes autem belli actiones circa hostem debent versari, & illud unice agendum, ut eum fatigemus & superemus, cujus nomine non omnis ille venit, qui nos infestat, sed qui nobis, aut quibus nos publicè bellum indiximus.

XXXVIII.

Atque hinc, qualiscunque etiam sit, contemnendus nullo modo est. Quanta enim illud pernicietis sit Tyranni, Thrasibulam triginta de suis ab initio habentem, solitudinesque quarentem, contemnentem, sunt experti. Contemptus quippe illos ad persequendum segnes, Hunc tempore ad comparandas copias dato robustiorem fecit, quare in omnium animis versetur: Nihil in bello oportere contemni.

XXXIX.

Componuntur denique vicissim bella viribus hostium vel debilitatis, ut ex illo inter Xerxem & Themistoclem gesto bello apparet; Xerxis enim copiae cum sic attritae essent, ut resistere adversario suo dubitaret, qua pervenerat via, eadem in regionem suam est reversus, atque ita Athenienses liberati sunt; Vel plane superatis, ut aut necesse habeant, pacem petere, aut victoris potestati se dedere; Ubi sedulo cavendum, ne quid crudeliter fiat, sed cum iis, qui devicti sunt, consulatur, tum ii qui armis positis ad Imperatorum fidem confugiunt, recipiantur; vel denique amicabilibus pacificationibus, quemadmodum Dion rem eo perduxit, ut absque bello Tyrannus pacem iniret, ut & Reinking de reg. sec. L. 2. cl. 3. c. 3. 14. tradit. Atque haec sunt quae breviter hac vice producere volumus, quibus sequentes quaestiones coronidis loco annectimus: Quaritur ergo

I.

An Dux Supremus pugna interesse debeat? Resp. Dist.

II.

An stratagemata in bello legitime adhiberi possint? A.

C

3. An



An subditi contra superiorem arma ca-
pere possint? Resp. Neg. si merè subo-
diti intelligentur.

IV.

An victoria semper iusta causa sit in-
dicium? N.

V.

An fides hosti data servanda sit? A.

VI.

Quodnam omnium bellorum perniciosis-
simum? Resp. civile.



Ad



Ad Præstantissimum Juvenem,
CHRISTIANUM MASCOVIUM,
publicè disputantem.

NAM quid negabo? MASCOVI doctissime,
Et prime Svavium mihi Sodalium:
Tranquilla militiæ togatæ nomina
Sectaris impotente fervidissimus
Ardore, mentemq; imbuis honestissimis
Studiis. Modò rogitate causas publicè
Cupis: hinc cathedram ascendis ipse reddere,
Responsa solertissimus, SUMMI super.
Fastigiis BONI, Ac velut Mavortius
Nunc miles horrens Martis aggredieris opus,
Ejusq; causas eruditè differis.
Metuite vobis; militum quiqui bonum
Æquumq; præter bella geritis impia.
Confringet his animos, pudoremq; miserum
MASCOVIUS imponet meus. Feliciter
Curris; sed & felicius decurrere
Stadium hoc dabitur: Ac ritè studiorum minas
Votaq; PATRIS desideriaq; PATRIÆ
Implebis almæ, MASCOVI doctissime.

Sic vovet ex animo

Tuus

Conradus David Bucher
Macroshyvalbacensis.

F I N I S.



CHRISTIANI MASSOVII

CHRISTIANI MASSOVII
publico diploma

Nuncupatio
Anno regni M. A. S. C. VI. Indiv. 1561
Et prime sessionis mag. 1561
Tunc per. 1561
Secula. 1561
Arbor. 1561
Studia. 1561
E. 1561
R. 1561
F. 1561
N. 1561
H. 1561
M. 1561
A. 1561
C. 1561
D. 1561
E. 1561
F. 1561
G. 1561
H. 1561
I. 1561
K. 1561
L. 1561
M. 1561
N. 1561
O. 1561
P. 1561
Q. 1561
R. 1561
S. 1561
T. 1561
U. 1561
V. 1561
W. 1561
X. 1561
Y. 1561
Z. 1561

Actum ex anno

Tunc

Conradus David Bucher
Macrochylus abbas

E. I. M. 1. 2.




05 A 1100

ULB Halle

3


003 765 245



VDT7







803.
79

Politica

LO,

Nunine,
m ad Albim Lyceo,

DE

CASELIO,

xoniae Alumno, &
Fautore & Praeceptore
ndo,

MASCOVIUS

minori,
is matut.
n proponit:

R G Æ
THI, Acad. Typogr,
CXXXVI.